



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XXIV. Maji. In Festo B. Mariä Virginis, Titulo Auxilium
Christianorum**

Paderbornæ, ca. 1790

Ad Laudes Hymnus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60406)

spei meæ. Quid enim? Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire; aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum: feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, & sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit invenit, & frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiæ est quod hic sumus? Profecto misericordiæ Domini est, quod non sumus consumpti nos.

Ad Laudes Hymnus.

Te Redemptoris, Dominique nostri
Dicimus matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus & levamen
Rebus in arctis.

Seviant portæ licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, & minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.

Nil truces possunt furia nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo fovet, & superno
Robore firmat.

Tanta si nobis faveat Patrona
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve turmae
Mille cohortes.

Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis & acri
Milite tuta.

Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, caeli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.

Te per aeternos veneremur annos
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent.
Amen.

Ad Benedictus Antiphona.

Ad te, o sancta Dei Genitrix, cla-
mavimus, & per te venit Domini au-
xilium nobis.